



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

An omnes virtutes moderentur passiones, & quomodo perducant ad  
paßionu[m] dominium, Cap. XXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

## CAPVT VIGESIMVM NONVM.

*An omnes virtutes moderentur passiones, & quomodo perducant ad passionum dominium?*

252. **I**n primis notandum est, quod docet S. Ioan-  
25. 13. nes Climacus: *Vna aliqua virtute singulas per-  
turbationes euacuari. Et quod ait alibi: Tenerum cor  
ad sui custodiam erectum, passiones edomat. Hoc posito.*

253. *Respondeo non omnes virtutes immediatè  
moderantur passiones, easque subiugant rectæ  
rationi, & inducunt passionum dominium: om-  
nes tamen conducunt ad passionum modera-  
tionem. Quod vt intelligatur melius, notanda  
est doctrina Aristotelis recepta à S. Thoma: De-  
cem sunt virtutes Morales circa passiones, scilicet Forti-  
tudo, Temperantia, Liberalitas, Magnificencia, Magna-  
nimitas, Philotimia, Mansuetudo, Amicitia, Veritas,  
Eurapelia, quæ distinguuntur secundum diuersas ma-  
terias, vel secundum diuersas passiones, vel secundum  
diuersa objecta. Quibus si addatur Iustitia, quæ est circa  
operationes, erunt omnes vndecim. Hæc S. Thomas.*

254. *Iustitia est virtus voluntatis (nam est in vo-  
luntate tanquam in suo subiecto, iuxta S. Tho-  
mæ doctrinam) tribuens vnicuique quod suum  
est, alienum non vendicans: sic describitur à  
S. Augustino & S. Gregorio Nysseno & B. Lau-  
rentio Iustiniano. Iustitiam, quæ immediatè  
circa actiones versatur, non versari immediatè  
circa passiones, sed ex consequenti, & tantum  
mediante ea virtute, cuius est eam passionem  
coercere, docet S. Thomas. v.g. Si iuris alieni  
conseruatio periclitetur propter nimium diui-  
tiarum amorem, vult S. Thomas Iustitiam sibi  
auxiliatricem adhibere liberalitatem, & eius  
ope illum iustæ operationis obicem remouere.*

*Idem docent graues Theologi, citati à nostro  
Theophilo Raynaudo in præclaro opere de  
virtutibus & vitis.*

255. *Fortitudo est virtus appetitum irascibilem ac  
voluntatem perficiens, quæ labores mortisque  
pericula ex rectæ rationis dictamine constan-  
ter dum opus est, suscipiuntur & perferuntur  
seu sustinentur, & timores depelluntur auda-  
ciæque compescitur. Duo ergo habet officia,  
aggredi dum opus est pericula, & sustinere ea  
ac pati. Alia de fortitudinis dicta sunt supra.*

256. *Seu, est virtus moralis specialis, inducens mediocri-  
tatem circa affectus timoris & audaciæ, oblituros  
honestati hominem decenti circa pericula & res ar-  
duas, vt bene docet Theophilus Raynaudus.*

257. *Dixi fortitudinis functionem ex directione ratio-  
nis esse debere: quia, vt bene ait Clemens  
Alexandrinus: Nullus circa rationem fortis, est cog-  
nitione præditus. Nam pueros quoque sic dixerit ali-  
qui fortis, qui quæ sunt formidabilia sustinent, pro-  
pter eorum quæ sunt grauiam ignoracionem. Ignem*

*quidem certè sic tangunt. Et seras quæ in hastas in-  
currunt. cum sint fortes circa rationem vocauerunt ra-  
tione præditas. Fortassis etiam hi fortes dicunt præsti-  
giatores, se in gladios rotantes, qui ex quadam ex-  
perientiâ propter vilem mercedem, malam artem exer-  
cent.*

*Temperantia est virtus cohibens passiones ap-  
petitus concupiscibilis, quæ versantur circa de-  
lectabile sensuum, præcipuè gustus & tactus, ad  
quorum duorum sensuum functiones aliorum  
sensuum actus ordinantur. De hac supra dictum  
est n. 220. 221.*

258. *Qui tamen specialibus Diuinæ gratiæ au-  
xiliis, magnoque conatu mentis studet ac-  
quisitioni virtutum moralium, per eas tan-  
quam per effectus Diuinæ gratiæ euahitur  
ad plenitudinem charitatis perfectæ, & simi-  
litudinem Dei non vulgarem, adferentem do-  
minium seu vacuitatem passionum, supra ex-  
plicatam. Quæ de re subtiliter disseruit S. Dia-  
dochus, ideoque attentè legendus est hoc lo-  
co. Duo nobis bona per baptismum regenerationis  
sancta gratia comparat, quorum alterum alteri, in-  
finito intervallo antecedit: sed illud quidem statim lar-  
gitur. Renouat enim nos in ipsa aqua, & cunctas  
anima lineas, id est, quod ad imaginem Dei omnibus  
rugiis peccati nostri detractis splendescere facit. Hoc ve-  
rò, id est, quod est, ad similitudinem Dei, non statim  
largitur, (sed in hac similitudine Dei, includit-  
ur intrinsecè etiam dominium passionum,) sed ex-  
pectat potius, vt illud nobis adiutoribus operetur. Cum  
igitur caperit mens multo sensu suauitatem Dei gusta-  
re, scire nos oportet, tunc gratiam incipere veluti depin-  
gere in IMAGINE SIMILITVDINEM. Vt enim picto-  
res, primum quidem vno colore figuram hominis depin-  
gunt; postea verò colorem colori paulatim imponen-  
tes, speciem similis picture vsque ad capillum saluam  
retinent; sic gratia Dei, primum quidem quod erat  
ad imaginem Dei factum, in eum statim, qui erat, cum  
factus est homo, per baptismum, continuat & aptat;  
cùm autè videt nos toto animo PVLCHRITVDINEM  
SIMILITVDINIS concupiscere, stareque in sua officinâ  
nudos, ac nullius admiratione rei captos, tunc virtutem  
virtuti addens, instar storum, speciemque animæ à  
claritate in claritatem transferens, formam simili-  
tudinis Dei ei adhibet. Ita, vt sensus quidem decla-  
ret, formari in nobis illud quod est ad SIMILITVDI-  
NEM, perfectionem verò similitudinis ex illuminatione  
cognoscemus. Mens namque proficiendo mensurâ qua-  
dam & rhythmicâ temperatione arcanâ, per sensum  
virtutes vnuerfas recipit: Spiritualem verò charitatem  
nemo comparare potest, nisi ab Spiritu sancto plenissi-  
mè illumineatur. Nisi enim mens similitudinem Dei per  
Diuinum lumen perfectè recipiat, ceteras ferè vir-  
tutes habere quidem potest, (scilicet acquisitas mo-  
rales) perfectè verò charitatis (in totâ suâ amplitu-  
dine essentiali & accidental) adhuc expertus rema-  
net. Siquidem cùm similitudinem Dei accipit (quate-  
nus homo fieri potest similis Deo) tunc ferè similitu-  
dinem diuinæ charitatis. Vt enim in iis tabulis, qua  
ad*

ad similitudinem aliarum picta sunt, totum illud floridum colorum, qui sunt additi imagini similitudinem picture per omnia seruat. Et retinet vsque ad imitationem etiam subridens, sic in iis, quos diuina gratia ad similitudinem Dei depingit, illuminatio charitatis addita, declarat eum, qui ad imaginem Dei factus est, esse ex omni parte similitudine Dei decoratum. Non enim potest alia virtus Vacuitatem Passionum ipsi anima acquirere, nisi sola charitas. Plenitudo namq; legis dilectio est. Quamobrem renouatur quidem homo noster interior de die in diem in gustu charitatis, impletur verò, cum hac perficitur.

CAPVT TRIGESIMVM.

An sit contra perfectionem dominij passionum, vehementer irasci, & acriter reprehendere, & punire dyscolos & alios delinquentes?

Respondeo cum S. Basilio, non esse contra perfectionem dominij passionum vehementer irasci, & reprehendere & punire, si ad sint 4. conditiones. Primum si iusta sit causa iracundia. Secundum si ira non præcuerat rationem, sed ab eâ voluntariè imperetur, & quasi exurgere iubeatur. Tertio si sit coniuncta cum mansuetudine interna, & perturbationem omnem animi excludentem. Quarto si non sit vllus excessus in reprehensione quoad acerbitatem verborum, & feritatem gustuum ac vultus immoderatam, & quoad grauitatem pænæ peccatum commissum in altero castigante. Quâ de re sic loco citato scribit S. Basilius:

Mansuetudine cum primis plenus esse Monachus debet. Caterum si vsus inciderit, vt suscipienda aliquando à nobis aduersus alicuius negligentiam indignatio sit, qui sit in nostrâ ditione, adhibenda in eo cura est, vt indignatio ratione sit temperata. Siquidem gladius Medici vtuntur & homicida. Verum hi, quod ad eos tractandos ira atque immanitate impulsu accedant, sceleratissima per eos designant facinora, & vitâ spoliant. Illi contra quod ex ratione ipsis vtuntur, magnas ex iis afferunt vititates. Siquidem eorum operâ vsi, constituto homines in periculis liberant. Eodem modo etiam quicumque adhibita in consilium ratione sibi indignandum censuerit, magnoperè illi vitilis fuerit, aduersus quem animo incitatus sit: nempe qui eius vel negligentiam corrigat vel improbitatem. Contra verò qui ab ira vinci se sint, ab eo rectum proficisci nihil potest. Non esse verò alienum ab iis, qui mansuetudini student, animo interdum incitari, hinc perspicui facillime potest, quod Moyses, de quo in Sanctis literis testatum habemus, mortaliu eum omnium longè mansuetissimum fuisse, vbi ita temporis ratio poscere visa est, vehementissime est indignatus, atque eatenus animi concitatio progressus, vt eam non aliâ ratione quam suorum eade terminarit: hocque tum cum vitulum illum fabricauerunt, tum etiam cum nefarius se Beelphegur ritibus polluerunt. Ex quo intelligi facile potest, vt quis ad-

hibita ratione animo incandescat, posse nihilominus eum dignitatem mansuetudinis incorruptam retinere. Nam illud omnino nunquam moueri, aut, scubi opus sit, non indignari, nature potius lenitudo, quam mansuetudo appellanda est. Porro mansuetudini naturaliter etiam ferè adiuncta est patientia mater. Neque minus etiam iis, qui verè modo mansueti sunt, ac non qui moribus sunt plus aquo seueris implexi ac defedati permittim se attemperat, & comitem adiungit benignitas. Hac enim suavis ac placida benignitas, materiam suggerit gignenda mansuetudini. Vtraque porro hac virtus vnâ, inter se commixta coniunctaque præstantissimam virtutum omnium Charitatem efficiunt.

Confirmatur hæc responsio, Christi Domini exemplo, qui etsi dominium passionum habuerit maius, quam vllus Sanctorum, tamen irascebatur. Mar. 3. 5. Acriter increpabat Iudæos, Matth. 3. 7. & cap. 12. 34. Vocans progeniem viperarum, & vt obseruauit B. Laurentius Iustinianus, cum inuenisset in templo vendentes, facto ex fomiculis flagello, omnes eiecit è templo & numulariorum effudit as, & mensis subuertit. Ioan. 2. 15. Et Spiritus sanctus, qui procul dubio nil suadet perfectioni summae contrarium, monuit: Irascimini & nolite peccare. Quod fit, vt S. Gregorius ait: Cum ira etiam delinquentium culpas exequitur, non debet menti quasi domina preire, sed post rationis tergum, velut ancilla famulari, vt ad faciem iussu veniat. Quare benè S. Bernardus scripsit: Non irasci vbi irascendum est, peccatum est: plus irasci quam irascendum est, peccatum peccato addere est. Sanctus, quoque P. N. Ignatius habuit dominium perfectissimum omnium passionum, vti supra ostensum est; tamen teste Maffcio, si quando (quod tamen perraro fiebat) rei necessitate coactus vultum indueret seueriorem, & aliquem increparet seuerius, tanta erat vis pondusque verborum, vt contra ne hiscere quidem auderet quisquam. Adque præsertim in causa viri cuiusdam insignis apparuit, qui cum turbulencior esset, quam vt eum diutius ferri oporteret, cumque eius animum Ignatius blandis monitis præceptisq; nequicquam sanare tentasset, ad extremum oratione cõuersa, diuinam restatus iustitiam, ac celestis ira minas intentans, tantum ardorem spiritus prætulit, ipsi vt parietes, tectaq; non dubio motu nutare & concuti viderentur. Quo terrore percussi qui aderant, illico procumbentes, Dei pacem precibus ac votis exposcere, ipse verò qui accusabatur exanimis ad pedes Ignatij sese confestim abiicit, ac supplex confusa voce, culpa veniam petiit, seque posthac in officio fore pollicitus est. Irascimini, inquit S. Ambrosius, vbi est culpa, cui irasci debemus. Non potest enim fieri vt non moueamur rei indignitate: alioquin non virtus, sed lenitudo & remissio iudicatur. Et non irasci vbi irascendum est, peccatum est, vt dixit S. Bernat. paulò antè citatus, Immodè hoc est signum animæ in passionum fixatione proficientis, iudicio S. Diadochi. Postquã, inquit,

anima capit passiones superare, non patitur iam sum

Rom. 11.

217. Constit. m. c. 14.

Nu. 11.

de casto cona. c. 7. col. 7.

Plal. 4. 3. epist. 12. 6.

ep. 69. ad Guid.

259. num. 64.

1. 3. c. 6.

l. 1. Offic. cap. 21.

cap. 71.